

Król Kazimierz Wielki zatwierdza regulacje rady miejskiej Krakowa dotyczące m.in. dziedziczenia testamentowego kupców udających się w podróże handlowe i ustalenia w testamencie opieki, 13 X 1342

Kodeks dyplomatyczny miasta Krakowa, t. I, cz. 1, wyd. F. Piekosiński, Kraków 1885, nr 25, s. 28-30

Odczyt: Kamil Sorka

Casimirus dictus Magnus res Poloniae, quaedam instituta et leges civitatis Cracoviensis approbat.

IN nomine Domini amen. Ea que cupiunt stare in statu solido, litterarum attestazione et testium subscriptione fiunt firmiora. Ideoque Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, et Terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Pomoranieque dominus et heres, universis presentibus et futuris tenore presentium esse volumus manifestum, quod ad instantiam fidelium nostrorum Consulium et Seniorum Civitatis nostre Cracoviensis, cupientes commune bonum non minui sed augeri, ad utilitatem rei publice et profectum, necnon pro bono communi omnium incolarum utriusque sexus Civitatis nostre Cracoviensis supradicte, constitutiones seu arbitria, statutaque infrascripta bona deliberacione maturoque consilio prelibato presentibus ratificantes confirmamus, volentes ipsa ab omnibus eiusdem Civitatis nostre predictae incolis in posterum perpetue, firmiter et inviolabiliter observari. Que statuta, constitutiones atque arbitria predicta scribuntur in hec verba. Si contingeret, quod homo ita infirmus efficeretur, quod timendum esset de vita sua, vel si proponeret visitare limina sanctorum aut recipere se ad vias longinquas, vel ultra mare, ille potest coram tribus consulibus eligere tutores unum vel plures pro pueris suis, vel pro propinquiorebus suis amicis, qui etatem non haberent, et pro omnibus suis rebus mobilibus et immobilibus, quemcumque voluerit, sive sint amici vel extranei, et hii debent habere plenam auctoritatem et posse, sicut ad hoc essent nati; et quod idem infirmus sit circa bonam rationem. Et si propinquiore illius vellent hoc destruere, non possunt, quousque pueri perveniunt ad annos quindecim. Sed si femellam infra istos annos nubere contingeret, tunc maritus eius ipsius tutelam accipiet hoc statuto non obstante. Item nullus infra muros Civitatis vendere debet vel emere aliquem censum super hereditates, quem velit aut possit hereditarie possidere. Quicumque emit hereditatem et possidet eam anno et die sine iusta allocucione, is eam libere debet possidere et optinere ex parte omnium in Civitate existentium, sive sint Iuvenes, sive senes. Quicumque civis vel mercator, exceptis dumtaxat nobilibus terre nostre, fuerit proscriptus, et si in illa proscriptioe caperetur et vinceretur quod fuerat proscriptus, ille iudicari debet secundum formam iuris, ita tamen, quod cum testibus non convincatur. Quicumque luserit ultra unum fertonem sive sint cives, sive mercatores, cum taxillis sive globis, solvat unam marcam Civitati pro emenda. Si quemquam eciam contingeret sicuti proch dolor pluries evenit, quod unus in die vel in nocte vulneraretur aut occideretur, habens vulnus apertum et manifestum, et scabinos habere non posset propter tempus nocturnum, ille debet ad advocatum ire et manifestare ei molestiam suam, et cras ante meridiem habebit tam bonum ius, ac si in nocte querimoniam fecisset; et hoc ideo sit, quod scabini, qui noctis tempore surgere de lectis

ipsorum deberent, in nullo molestentur. Quicumque hospitum adducunt pannos, illos ulterius vendere non debent aliis hospitibus, nisi in die forensi, et non debent pauciores simul vendere, quam sex pannos flandrenses. Et istos pannos non debent alias vendere, quam in cameris pannorum. Eciam nullus debet vendere stamen integrum, quod homines vellent incidere et dividere inter se hic in Civitate, nisi pannicide. Ab isto articulo nobiles terre nostre et kmetones eorum sint exclusi. Item volumus, statuimus et decernimus in presentibus, quod quilibet hospes debet vendere propria stamina sua et non aliena. Cuicumque hereditas obligata fuerit, ille debet eam servare et non vendere, nisi anno et die expirato. Si contingeret aliquam dissensionem inter cives fieri, et quicumque incederet civis vel hospes armatus post hoc, et nollet iure causam suam repetere, arma illorum debent fore Civitatis. Insuper quilibet armatus pro pena solvet unam marcam, et hoc debet converti pro emenda Civitatis. Etsi consules sederent in loco solito et consueto, et aliqua secreta coram eis agerentur, quod hec tantam vim et talem vigorem haberent, ac si coram iudicio bannito fierent vel fuissent facta. Ut autem hec confirmacio nostra firma et inviolabilis temporibus perpetuis perseveret, ad huiusmodi evidenciam rei plenioram, presentes litteras fieri et sigilli nostri munimine iussimus roborari. Actum Cracovie, die dominica proxima ante festum Sancti Galli, anno Domini M°. CCC°. XL°, secundo. Presentibus hiis Nobilibus nostris: Spicimiro Castellano Cracoviensi, Mstugio Sandomiriensi, Ymrammo Cracoviensi, Palatinis, Petro Sandomiriensi, Andrea Wisliciensi, Castellanis, Iohanne Iudice Cracoviensi, Iohanne Cracoviensi, Henrico Sandomiriensi, Subkamerariis, et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus Segnei propositi sancti Michaelis et Vicecancellarii Curie nostre.

[hasła: testament, mieszczanie, prawo miejskie, ustanowienie opiekuna, zagrożenie życia, pielgrzymka, podróż zamorska, wójt, ławnicy, radcy miejscy, kupno spadku, sprzedaż spadku, szaty, kupcy, samopomoc, rzeczy ruchome, nieruchomości]